



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

Sect. 1. Vtrum omnia accidentia veram exerceant causalitatem formalem,
& circa quem effectum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

siue generica, siue specifica, indiuisibilis est, estq; taliter indiuisibilis, vt augeat essentialiter rei perfectionem in ordine ad conceptum mentis: ergo etiā in ordine ad mentis conceptum non potest essentia finita diuidi vel cōstitui per huiusmodi differentias nisi numero finitas, quā cum indiuisibiles sint, non poterit in earum diuisione procedi in infinitum.

XXV.

Et ita manet efficax consequentia facta in tertia ratione, & cessat obiectio insinuatā in secunda euasione, quia in re finita non possunt contineri, etiam in potentia, infinita inter se communicantia, & augmenta perfectionem seu quantitatem rei. Quare, si semel concipiantur, & ratione distinguantur omnes differentiae, quae in essentia rei fundari possunt, earū numerus augeri nō poterit, siue respectu rerum existentium, siue possibilium: per illas enim conuenit, aut differt ab omnibus, tam quae sunt, quam quae esse possunt.

XXVI.

Et inde etiam facile excluditur prior obiectio, nā quacunque ratione multiplicentur differentiae, & siue subordinatae sint inter se, siue non, non possunt esse nisi in numero finito propter dictā causam: quia, scilicet, finita perfectio non potest etiam mente diuidi in plures quasi partes inter se non communicantes, nisi solum in numero finito. Probabilius autem est differentias omnes, quae ad vnius essentiae constitutionem conueniunt esse aliquo modo inter se subordinatas vt potentiam & actum: alias non possent vnum per se constituere. Neque etiam verisimile in hoc committi circulum, cum habitudines actus & potentiae adeo sint inter se oppositae.

XXVII.

Quocirca quamuis idem genus variis modis à nobis diuidatur, non tamen semper diuiditur per proprias & immediatas differentias, quibus proxime contrahitur & actuatur: & ideo fieri aliquando potest, vt duae differentiae inter se comparentur vt actus & potentia. Vt in exemplo posito licet substantia diuidi possit per corpoream & incorpoream, viuētem & non viuētem, semper prior diuisione est immediata & proxima: cuius signum est, quod illa sumitur quasi ex intrinsecis principiis, & absoluta entitate rei: haec verò sumitur in ordine ad operationem: & ideo differentia viuētis, prout est in rebus corporeis, semper comparatur vt actus, & non vt potentia ad gradum corporeum. Et quamuis illa differentia reperiatur etiam in rebus incorporeis, tamen reperiatur longe diuerso modo, quia substantia incorporea est (vt itadicam) totaliter viuēs, id est, viuīt ratione totius substantiae suae, corporea verò ratione partis: quo speciali modo sumi videtur, cum ponitur differentia corporis. Et quamuis demus posse dari communem differentiam viuētis abstrahentem ab illis duobus modis, inde ad summum fit, aliqua genera non subalternatim posita habere differentiam communem; quod fortasse non est inconueniens: ita enim censuit Arist. 6. lib. Topic. de quo alias.

XXVIII.

Sicigitur satis declarata & confirmata manet tertia ratio; & prima etiam ex praedicto discursu robur accipit. Secunda verò, si non de proprietatibus in rigore, vt dicunt facultates operandi, aut aliquam aliam rem à substantia distinctam, sed de quolibet modo essendi vel operandi intelligatur, defendi potest, quia haec genera & differentiae maximè distinguuntur à nobis per ordinem ad aliquam proprietatem huiusmodi. Vltimo addit Aristot. aliam rationem, nempe, quia si in his differentiis esset processus in infinitum, nunquā posset res à nobis satis distincte cognosci aut definiri, quia cognitio seu definitio omnino distincta incipit à supremo genere, & per adiectionem omnium differentiarum peruenit usque ad vltimam; quod fieri non posset, si illae essent infinitae. Quod maxime habet locum in cognitione humana, quae paulatim procedit ab vna ad aliam, quo modo impossibile est in infinitum pertransiri, successiue numerando, vt constat ex 3. Phy. c. 7. & satis est per se notū.

Alia pro
elusione ra
tio Aristote
li.

DISPUTATIO XVI.

De formali causa accidentali.



Vltima, quae de substantialibus formis dicta sunt, accidentalibus applicari possunt: conueniunt enim aliquo modo in ea communi ratione, & secundum eam multa habent communia, quae hic repetere non oportebit. Tandem ergo explicabimus, quomodo haec causalitas accidentibus conueniat, & an secundum eam rationem aliquid habeant singulare.

SECTIO I.

Utrum omnia accidentia veram exercent casualitatem formalem, & circa quem effectum.



Ratio dubitandi est, quia accidens neque est causa formalis sui subiecti, nec compositi: ergo nullum effectum habet: ergo neque veram, ac per se causalitatem. Haec vltima consequentia est euident, quia causa & effectus correlatiua sunt: prima verò constat à sufficienti partium enumeratione, antecedens autem quoad priorem partem probatur, quia subiectum accidentis est substantia: nō potest autem accidens esse causa formalis substantialis. Quoad posteriorem verò partem probatur, quia si accidens esset formalis causa compositi, tale compositum esset per se vnum, quia ex causa propria & per se confurgit proprius ac per se effectus: sed compositum ex accidente & subiecto non est per se vnum: ergo.

Circa hanc quaestionem referri potest opinio Aureoli apud Capreolum in 2. distinct. 18. quaestione, dicentis nullum accidens habere propriam entitatem formalem, per quam formaliter afficiat subiectum, sed esse ipsam actuationem. Quod vix intelligitur, quid significet, nisi fortasse intellexit, nullum accidens esse rem distinctam realiter ab entitate substantiae, sed modum tantum, quod multis modis repugnat, & dissonat veritatibus fidei. Quis enim intelligat, accidentia in Eucharistia separari, & manere sine entitate substantiae, & quod non habeant propriam aliquam entitatem, distinctam realiter ab entitate substantiae? Item, quomodo potest recte intelligi tota doctrina, quam fides docet de qualitatibus infusis, si ille non habent proprias entitates distinctas ab entitate naturali substantiae? Est praeterea illa sententia contra experientiam, quantum res physica esse potest: quis enim videt aerem illuminari nunc, & postea amittere lumen, non fere videat oculis lumen esse entitatem quandam distinctam à substantia aeris? Omitto alias, quae de quantitate, qualitate, &c. suis locis dicemus. Praeterea, illa sententia in eo sensu nulla ratione probabiliter nititur, & enim repugnat rationi accidentis, quod habeat entitatem propriam distinctam à substantia, & naturaliter pendente ab illa? Fortasse tamen non fuit hic sensus illius authoris, sed quod accidens, siue sit res distincta à subiecto siue non, in re nō distinguatur ab actuatione seu inhaerentia in subiecto: omnia enim argumenta quae ibi refert Capreolus, ad hoc tendere videntur, iuxta quem sensum non excludit, quin accidens esse possit verè ac propriè forma, male tamen explicat formalem causalitatem eius. Estque etiam in hoc sensu periculosa sententia, vt vbi notat Capreolus: nam si informatio, vel quod idem est inhaerentia accidentis, nō est in re distincta ab illo, intelligi non potest, quomodo accidens sine sua actuali inhaerentia conseruetur.

betur, quod tamen in Eucharistia fieri, docet fides. Præterea, si argumenta, quæ ibi refert Capreolus, essent alienius momenti, idem probarent in forma substantiali, & informatione eius: omnia enim in hoc potissimè insunt, ut inquirant, quid sit illa informatio, si est aliquid distinctum ab accidente, an sit respectivum, vel absolutum, & alia huiusmodi, quæ in substantiali informatione, & in qualibet vnione vulgaria sunt.

III. Vt ergo quæstionem propositam expediamus, distinguenda sunt varia genera accidentium. Quædam enim sunt, quæ propriè & intrinsecè efficiunt rem, cui acciderè dicuntur: alia, quæ solum extrinsecè denominant, ut actio respectu agentis, & habitus seu vestimentum respectu hominis vestiti. Priora rursum accidentia, quædam sunt habentia propriam entitatem, & realitatem distinctam, tam à substantia, quam ab aliis entitatibus accidentalibus. Alia verò sunt rærum quidam modi affixi aliis entitatibus, qui interdum realiter sunt idem cum substantia, ut v. g. præsentia localis; interdum vero sunt idem cum aliis accidentibus, ut figura cum quantitate, & relatio similitudinis (si est modus distinctus) cū albedine.

Accidentales entitates verè causant formaliter.

IV. Dico ergo primo: Accidentia, quæ propriam habent entitatem distinctam à substantia, propriam ac veram exercent causalitatem formalem. Non assero hanc rationem eis vnivoce conuenire: in hoc enim eadem ratio erit, quæ de ratione entis, aut de ipso esse, nam, cū forma sit, quæ dat esse, si esse, quod dat talis forma, non est vnivoce esse, talis forma non est vnivoce causa formalis. Tamen sicut accidens, quamuis analogicè sit ens, nihilominus verè ac propriè ens, & non metaphoricè, verumque ac proprium esse reale habet ita accidens, quod dat tale esse, est verè ac propriè causa formalis, etsi non sit vnivoce talis. Præterea, substantia vere est in potentia passiva & receptiva talium accidentium: ergo è conuenio accidentia ipsa sunt proprii actus adiuuantes, & quasi replentes illam capacitatem receptiuam, eique inhaerent & ab ea sustentantur: ergo sunt propriè formæ, propriamque causalitatem formalem exercent. Acque ita sentiunt omnes Philosophi & Theologi, qui hæc accidentia causas formales vocant. Facuetque diuina Theologia, dum iusticiam inhaerentem vocat causam formalem nostræ iustificationis. Denique hæc accidentia sunt causæ suorum propriorum effectuum, & non extrinsecæ, sed intrinsecæ, quia per se ipsa intrinsecè constituunt suos effectus. Vnde fieri non potest per diuinam potentiam, ut tales effectus fiant sine talibus causis, ut album, v. g. sine albedine. Cum ergo constet, hæc accidentia non esse causas materiales, necesse est ut sint causæ formales: nullum enim est aliud genus causæ intrinsecæ præter hæc duo.

V. Hinc colligere licet, quatuor illa, quæ in causa formali substantiali supra declarata sunt, eadem proportionem reperiri in hac formali causa accidentali: nimirum formale principium ac proximum causandi, conditionem necessariam, causalitatem, & effectum. Principium tam principale, quam proximum in hoc genere, est ipsa entitas talis formæ, natura sua apta ad se informandum: quæ aptitudo non est aliquid in re distinctum ab entitate talis formæ, sed est intrinsecæ, & essentialis differentia eius, nam ad hoc est per se primo ex natura sua instituta, sicut de forma substantiali dictum est. Item, quia illa aptitudo omnino est inseparabilis à tali entitate, etiam per diuinam potentiam, quod est signum nō esse modum ex natura rei distinctum. Præterea quia si aptitudo ad informandum esset quasi potentia quædam ex natura rei distincta à forma accidentali, illa esset quoddam accidens: de quo rursus interrogandum est, an per se efficiat; quod negari non poterit, nisi velimus in infinitum procedere: nec poterit reddi alia ratio, cur illa aptitudo proxime efficiat, vel sit proxima ratio efficiendi, nisi quia ad hoc est intrinsecè ex natura sua instituta: sed hoc ipsum verissimè dicitur de ipsa entitate accidentali: ergo in illa sistendum est, & dicendum ipsam, per se ipsam esse aptam ad hanc causalitatem præstandam. De conditione item necessaria ad causandum nihil peculiare hic dicendum occurrat præter ea, quæ dicta sunt de forma substantiali: sola enim propinquitas & indistantia requiri potest ut conditio necessaria: existentia enim propriè non est conditio, ut ibidem declaratum est.

Explicatur dicta causalitas.

DE causalitate item eodè modo philosophandum est; negari enim non potest, quin sit aliquid ex natura rei distinctum à forma, & à subiecto, quandoquidem potest Deus conseruare totam entitatem formæ accidentalis, & subiecti, absque eo quod accidens exerceat suam causalitatem formalem circa subiectum: quod intelligi nullo modo potest, nisi actualis causalitas sit aliquid distinctum à forma causante, & subiecto recipiente: nam separatio in re est signum euidentis distinctionis in re, ut supra ostensum est. Addo verò vltèrius, huiusmodi causalitatem nō esse aliud ab actuali vnione vel inhaerentia accidentis in subiecto, sicut dictum est de forma substantiali: est enim eadem ratio proportionalis.

Oportet tamen hic breuiter satisfacere argumentis Aureoli. Primum est, quia vel illa informatio est quid absolutum, vel respectivum: si absolutum: ergo separabile à forma per potentiam Dei absolutam, ita ut tale absolutum maneat in subiecto sine forma, quia Deus potest separare quodcumque absolutum ab alio. Si verò relatiuum: ergo esse informatum, ut verbi gratia, esse album, est relatiuum. Secundo, nā si est quid distinctum à forma, cuiusnam prædicamenti est, maxime enim erit de prædicamento Actionis: hoc autem dici non potest, quia aliàs causalitas formæ non esset formalis, sed efficiens. Tertio, quia si actiatio formæ est quid distinctum, cum ipsamet maxime actuet subiectum, inquiri an actuet per se ipsam vel per aliquid aliud, si per aliud, procedetur in infinitum: si per se ipsam, ergo satius fuerit stare in ipsa forma. Et ad hæc argumenta reducuntur omnia, quæ ibi latissime Capreolus refert, præter ea quæ pertinent ad distinctionem quantitatis à substantia, quæ suo loco tractabimus.

Ad hæc autem respondet Capreolus, supponendo distinctionem realem inter esse & essentiam, & dicendo actuationem formæ esse aliquid distinctum à forma: illud autem non esse aliud accidens, sed esse ipsius formæ, quod reducitur ad speciem formæ, à qua fluit. Sed id, quod supponit, non esse necessarium in præsentia, neque satisfacere potest in eius sententia si consequenter loquatur: nam implicat contradictionem, separari actuationem illam à forma informante: at verò iuxta illius sententiam Deus separat esse à forma informante in Christi humanitate, & eadem ratione posset idem facere in forma accidentali. Nec satisfacit responsio, quam ibi insinuat, scilicet, Deū non posse separare esse proprium à forma, nisi illud suppleat per aliquod esse alienum: Esto enim hoc ita sit, nihilominus illud esse alienum, per quod Deus supplet esse proprium, non est effectus formalis formæ. Item, separato, & impedito esse proprio, manet informatio propria: ergo est aliquid distinctum ab esse. Et ita esset sine dubio dicendum consequenter in illa sententia, actionē illā non pertinere ad esse existentie, sed ad esse essentie totius cōpositi, esseque aliquid

VI.

VII.
Aureoli argumenta emendatur.

VIII.

liquid prius ipso esse existentia, vt patet in Christi humanitate, in qua iuxta illam sententiam, solū fuit esse essentia proprium, & tamen in illa fuit propria actio animæ, qua priuata fuit anima in Christi morte, cum tamen non fuerit priuata denuo aliquo esse existentia. Et quantitas in Eucharistia priuatur sua actione, & non sua existentia. Illa ergo argumenta soluenda sunt abstrahendo ab illa questione de distinctione essentia & existentia.

IX.

Ad primum ergo dicendum est, hanc informationem vel actuationem esse quid absolutum, includens essentialiter transcendentelem respectum. Est autem quid absolutum non vt entitas realiter distincta ab entitate formæ, sed vt modus ex natura rei distinctus: & ex hac parte implicat contradictionem conseruari talem modum sine ipsa forma, licet non e converso. Includit præterea modus ille transcendentalē respectum actualis vnionis ad subiectum, & ex hac parte implicat contradictionem manere in rerum natura modum illum, quin subiectum maneat affectum, & informatum tali accidente. Neque est nouū aut singulare, modū absolutum includere essentialiter transcendentelem respectum, sed est valde frequens & commune multis entitatibus, præsertim imperfectis & incompletis. Neque inde etiam sequitur denominationes sumptas à formis absolutis esse respectivas, vt album, aut esse album, & similes: nam hæ denominationes non sumuntur ab vnionibus (vt sic dicam) sed à formis vnitis: formæ autem absolutæ sunt. Ad secundum recte dicitur hunc modū informationis reduci ad prædicamentum formæ accidentalis: quia est modus complens quodammodo esse eius, sicut substantia suo modo complet esse substantia. Si quis verò diceret, has causalitates reuocari ad prædicamenta actionis vel passionis: non vt actiones, sed vt causalitates specie distinctas, fortasse non admodum erraret: id verò examinabimus tractando de sufficientia Prædicamentorum. Ad tertium respondeo actuationem propriè non actuare subiectum, sed vnire formam subiecto, per quam formam subiectum actiuatur: sicut actio propriè non agit, sed coniungit causam agentem effectui in suo genere. Vnde sicut actio eo modo, quo est ab agente, non est per aliam actionem, sed per se ipsam, ita illa actiuatio eo modo quo actuat vel attingit subiectum, non per aliud, sed per se ipsam attingit. Neque quoad hoc est eadem ratio de ipsa forma, quia forma in sua præcisa entitate non includit essentialiter transcendentelem respectum actualis vnionis, quem tamen includit illa actiuatio.

Declaratur effectus huius formæ.

X.

DE quarto, scilicet de effectu dicendum est, proprium effectum huius formæ esse solum compositum accidentale, nam illud est quod primo & immediatè confurgit ex accidente informante subiectum, & illud solum est quod intrinsecè & suo modo essentialiter pendet à tali forma: ergo hic est proprius & vnicus effectus talis formæ. Deinde, effectus huius formæ non potest esse subiectum ipsum, cum sit substantia, quæ ex se est prior accidente: ergo oportet vt sit compositum, quia nihil est aliud quod esse possit. Dicitur fortasse inter hæc dari medium, scilicet subiectum esse affectum accidentali forma, vt verbi gratia, effectum albedinis esse, subiectum albere vt sic dicam, seu esse album, quod idem est: hoc autem quid distinctum est à toto composito ex subiecto & albedine: nam dicit tantum effectum relictum ab albedine in subiecto: hic ergo est effectus formalis formæ accidentalis, & non totum compositum. Respondeo, albedinem reddere subiectum album, & cum illo constituere tale compositum accidentale, idem omnino esse, solumque in modo significandi differre, vt constat ex ipsis terminis, & ex

superius dictis de forma substantiali. Solum est aduertendum accidentale compositum licet in genere causæ formalis sit effectus solius formæ accidentalis, absolute tamen non confurgere ex sola forma, sed simul & maxime ex ipso subiecto. Quo fit vt ille effectus significari possit vel præcisè vt causatur à forma, & sic dicimus effectum albedinis esse reddere album subiectum, vel absolute, vt ex tali subiecto & forma confurgit hoc album: & hoc modo dicitur compositum accidentale esse effectus formæ accidentalis.

Nec ratio dubitandi in principio posita aliquid obstat: est enim æquiuocatio in termino illo per se, subiectum, applicatur: ipsum enim accidentale compositum licet in ratione entis non sit per se vnum, sed per accidens, in ratione effectus est per se effectus formæ accidentalis: sunt enim hæ diuersæ habitudines, & rationes formales, & ideo nil vetat illud compositum quod non est per se vnum, sed per accidens quatenus tale est, esse effectum per se accidentalis formæ: nam illud compositum, quaecumque sit, per se & essentialiter requirit illam formam, quatenus tale compositum est, vnde ab illa per se causatur in suo genere.

Ex accidente & subiecto cur non fiat vnum per se.

SED, vt hoc radiciter explicetur, quæri potest: cur ex forma accidentali & subiecto non confurgat ens per se vnum, quando quidem talis forma per se ipsa verè ac realiter vnitur tali subiecto. Multi existimant rationem esse, quia forma accidentalis supponit in subiecto aliquod esse existentia: & præterea ipsa confert suū propriū ac peculiare esse existentia: ex duplici autè esse existentia non potest vnum per se componi, sed tantum per accidens. Ita Sonc. 7. Metaph. 5. & indicat Henric. quodlib. 10. quæst. 3. vbi ait, quod si accidens non haberet suum proprium esse in subiecto, sed solum esse subiecti, nullo modo componeret vnum ens per accidens, sed per se. Vnde, vt ibidem refert, nonnulli etiā ex his, qui ponebant plures formas substantiales per se ordinatas in eodem composito, vt saluarent, ex illis confurgere vnum per se, dicebant priores formas non dare esse, quando actu sunt coniunctæ vltimæ formæ. Imo etiam Capreol. in d. 17. quæst. 1. conclus. 2. existimat probabile, fieri aliquando posse naturaliter, vt forma substantialis det esse essentia, & non det esse existentia, propter quoddam testimonium Diui Thomæ in opusculo de natura materiæ, cap. 8. cum tamen probabilius sit, illud opusculum non esse Diui Thomæ. Adde, non defuisse Thomistas, qui probabile putauerint accidentia non habere proprium esse distinctum ab esse substantia, iuxta quorum sententiam (si verum est principium positum) sequitur ex accidente & substantia fieri vnum per se, nam quæ habent idem esse omnino ac per se vnum, merito dicuntur habere vnitatem per se, cum vnū sequatur ens, & ens ab esse dicatur. Veruntamen hæc omnia fundantur, & supponunt distinctionem realem inter esse & essentiam, quam nos existimamus non esse possibilem, loquendo de essentia actuali: & quamuis esset possibile, aut vera, non est tamen necessaria ad præsentem questionem definiendam. Nam, qualis est essentia, tale est etiam esse: vnde sicut essentia potest esse vna, vel per entitatem simplicem, vel per compositionem, ita etiam ipsum esse. Si ergo dicantur illa tantum constituere vnum per se, quæ habent vnum esse simplex, & non compositum, falsum est illud principium, & sine fundamento sumptum. Si verò sermo sit de vno esse per compositionem, sic quamuis verū sit formā accidentale dare suum propriū esse, eadem quæstio manet, cur ex tali esse & esse subiecti non componatur vnum esse, quod verè ac propriè sit per se vnum. Aliter

Aliter ergo responderi potest, formam accidentalem supponere completum ac perfectum esse substantiale, & ideo ex esse talis formæ & subiecti non componi vnum esse per se. Quæ ratio est optima, quantum ad accidentia quæ subiectantur in substantia completa. Tamen, quia opinamur quantitatem inhærere in materia prima, cum qua non facit vnum per se, sed per accidens: ideo addendum est, formam accidentalem hoc ipso quod natura sua respicit subiectum habens esse alterius ordinis, & prædicamenti, & nõ ordinatur ad constituendum vel complendum illud esse in illo ordine & prædicamento, non constituere cum illo vnum per se, sed per accidens, quia quod est per se vnum, debet esse vnius ordinis & prædicamenti. Atque hac ratione ex materia & quantitate non fit vnum per se, quia licet materia habeat incompletum esse substantiale, non tamẽ ordinatur ad quantitatem vt ad actum, quo illud esse complendum est. Et similiter ex anima & potentiis suis non resultat vnum per se, sed per accidens, quia licet anima habeat etiã esse incompletum, non tamen ordinatur ad complendum vnum esse cum proprietatibus suis, quæ sunt inferioris ordinis, sed per se primo ordinatur ad materiam vt ad potentiam eiusdem ordinis. Itaque sicut supradicebamus, rationem ob quam ex materia & forma fit per se vnum, non esse aliam nisi mutuam proportionem & habitudinem, quam intra idem genus habet, ita & contrario ratio ob quam ex accidente & substantia non fit per se vnum, non est alia nisi quia non habent illam proportionem, sed aliam longe diuersam quia licet substantia sit capax accidentis, non tamen est per se ordinata ad talem actum, vt supra etiã declaratum est: & conuerso, accidens ipsum est talis actus, vt non ordinetur ad complendum substantiam in suo genere, sed ad perficiendam illam in alio genere.

XIV. Ex quo etiam intelligitur hanc vnitatem & rationem eius, non solum inesse existentie, sed etiam in esse essentie (qualitercunque hæc distinguantur) considerandam esse; imo per prius in essentia vt sic, & ratione eius in existentia reperiri. Ex materia enim, & forma substantiali verè fit vna essentia propter dictam causam: & ideo esse illius est vere ac per se vnum: ex forma autem accidentali & substantiali subiecto non fit vna essentia, & ideo neq; vnum esse per se ex illis resultat. Quamquam verò forma accidentalis dicatur componere vnum tantum per accidens, nihilominus per veram ac physicam vniõnem illud componit: agimus enim de accidentali forma propria, quæ intrinsece suo subiecto inhæret: & ideo, vt supra, disputando de vnitatis, dicebamus, hæc vnitatis licet comparatione vnitatis per se, analogicè sit vnitatis, nõ tamen est vnitatis solum per metaphoram, sed quia verè & intrinsece participat aliquam rationem vnitatis, in quo multum excedit entia per accidens, quæ per solam aggregationem, aut coordinationem talia dicuntur: non enim omne compositum per accidens æque vnum est, vt ibidem diximus. Atque ita omnino satisfactum est rationi dubitandi propositæ: nam licet hæc forma constituat vnum per accidens, tamẽ quia illud tale est, vt aliquam vnitatem physicam & realem includat, ideo potest illud componere per causalitatem formalem propriam ac per se, tali composito proportionatam.

Examinantur alii effectus huius forme accidentalis.

XV. Sed superest altera obiectio cõtra exclusiuam partem conclusionis, quia non solum compositum, sed etiam ipsum subiectum accidentis, videtur esse effectus accidentis informantis ipsum, & consequenter etiam hunc effectum provenire ex causalitate formali forme accidentalis. Assumptum probatur, quia subiectum accidentis pendet in esse ab ipso met accidente, & non nisi in genere causæ formalis: ergo.

Maiores patet in composito, quod pendet ab vltima dispositione: & clarius in materia, quæ non potest esse sine sua quantitate: & in anima quæ esse non potest sine suis potentiis. Præterea, vltra hos effectus positivos habere potest hæc forma effectum formalem priuatiuum, qui consistit in abiectione formæ contrariæ: calor enim formaliter expellit frigus, & sic de al. is. Deinde, vnum accidens videtur posse esse causa formalis alterius accidentis, vt quantitas dicitur esse ratio essendi in loco, cum tamen esse in loco, sit accidens distinctum ab ipsa quantitate: & similiter obiectum vel per se ipsum, vel per speciem, dicitur esse causa formalis actus visionis, verbi gratia, imo ipsa potentia visiva dicitur aliquo modo esse causa formalis suæ visionis: ideo enim non potest Deus facere visionem aut videntem sine potentia visiva, aut sine concursu talis potentie, quia interuenit ibi causalitas formalis, quam Deus supplere non potest.

Ad principalem obiectionem respondetur, non esse in vniuersum, ac per se loquẽdo necessarium, vt subiectum ab huiusmodi forma accidentali pendeat, vt constat in lumine respectu aeris, & similibus, quæ ab extrinseco veniunt. Quapropter etiam si respectu aliquarum formarum interueniat aliqua dependentia subiecti ab ipsis, nihilominus, per se loquendo, forma accidentalis vt sic in sua causalitate non includit dependentiam subiecti ab ipsa. Addo deinde, subiectum nunquam pendere ab accidente vt à propria causa formali: in quo omnes authores conuenire videntur: nam si compositum substantiale dependet à propriis accidentibus, fere omnes reuocant illam dependentiam ad genus causæ materialis quam vocat causalitatem dispositiuam: & maxime hoc habet locum in dispositione præparante & aptante subiectum. Nam illa, quæ est concomitans quasi conseruans subiectum, non potest habere rationem causæ dispositiuæ, nedum formalis, cum absolute supponat esse subiecti, & ab ipso manet, vel ratione illius debeatur: & ideo hæc accidentia merito dicuntur conseruare esse subiecti, non à priori vt causæ, sed à posteriori, vt proprietates concomitantes tale subiectum: quod de intrinsecis omnibus accidentibus vere dici potest. Est enim fere eadem ratio in omnibus illis, solumque potest esse differentia in hoc, quod quædam simpliciter consequuntur, alia ordine naturæ supponuntur, non quia specialem causalitatem habeant præter suam informationem, sed quia ex parte materiæ requiruntur, & ideo secundum eam rationem dicuntur ad materialem causam reuocari.

Ad primam confirmationem quidam opinantur accidens effectiue expellere à subiecto suum contrarium, & non formaliter. Sed licet hoc sit verum de forma accidentali, quæ est in agente, respectu expulsionis formæ contrariæ quæ erat in passo, tamen de forma quæ recipitur in passo, & in vniuersum de formis contrariis, quatenus respectu eiusdem subiecti vna per se ipsam repugnat alteri, & expellit illã, illud non potest esse verum, quia nulla forma expellit effectiue aliam, directe & per se efficiendo expulsionem, quia (vt aiunt) nullum agens intendens ad malum operatur: neque est vlla actio, quæ per se tẽdat ad corruptionem, sed per se facit aliquid positiuum, ex quo sequitur priuatio alterius. At verò forma accidentalis quæ est in passo, non causat effectiue se ipsam, neque aliquam aliam formam, per quam suum contrarium expellat, nullam ergo efficientiam exerceat ad illam expulsionem, sed solum informando subiectum, expellit contrariam formam, eo quod inter se habent formalem repugnantiam naturalem, respectu eiusdem subiecti. Ad argumentum ergo concedo, expulsionem formæ contrariæ pertinere ad effectum formalem formæ accidentalis, non omnis, sed eius quæ habet contrarium. Neque hoc repugnat

XVI.

XVII.

Accidens quomodo à subiecto expellat accidens.

conclu-

conclusioni positæ, tum quia illa intelligenda est de effectu positiuo & proprio, qui per se primo causatur à forma: tum etiam quia dictio exclusiua non excludit concomitantia: hæc autem expulsiua formæ contrariæ, ita comitatur positiuum effectum talis formæ, ut naturali necessitate consequatur ex vi eiusdem causalitatis formalis, quia forma afficit subiectum, & componit compositum.

XVIII.
Accidens nullum aliud accidens à se distinctum causat formaliter.

Ad alteram confirmationem responderetur nullam formam accidentalem proprie causare formaliter aliud accidens distinctum à se, & à sua vnione cum subiecto, quia vna forma non causat formaliter aliam formam. Vnde si vnum accidens est intrinsece connexum alteri, erit aut propter naturalem resultantiam vnus ab alio, quæ ad efficientiam pertinet, aut propter subordinationem necessariam, qua vnus est ratio recipiendi aliud, quod pertinet ad genus causæ materialis. Sic ergo quantitas dicitur esse ratio essendi in loco circumscriptiuæ, utroque ex dictis modis: nam & est ratio, per quam substantia corporea, est capax talis modi essendi in loco, & ad aliam naturaliter consequitur esse alicubi dicto modo. Obiectum autem, si comparatur ad potentiam, quatenus in eâ influit speciem, vel quatenus mediante specie concurrat ad actum, non habet rationem causæ formalis, sed effectiuæ, ut per se constat: si verò consideretur ut terminat & specificat actum, sic nullam propriam causalitatem exercet, sed puram rationem terminari, quam aliqui reuocant ad causam formalem, & extrinsecam eam vocant, de quo iam supra diximus: nunc verò solum agimus de propria causa informantis. Denique potentia vitalis nullo modo est causa formalis sui actus, sed actiua & receptiua: ad constituendum autem subiectum in ratione actualiter viuientis, id est, cognoscētis vel amantis aut quid simile, dici potest concurrere aliqua ex parte formaliter, quia licet huiusmodi actualis vita consummetur formaliter per actum secundum, tamē etiam includit primum, quem secundus per se ac essentialiter supponit: & fortasse hac ratione non potest fieri, ut videat quis sine potentia visiva & vsu eius, de quo alias.

XIX.
Vnum accidens in vnica tantum esse actum formalem.

Cur plures accidentales formæ possint esse in eodem subiecto, non autem plures substantiales.

Ex quibus omnibus tandem infertur, effectum formalem huiusmodi accidentalis formæ, vnicum tantum esse, atque etiam e conuerso ad huiusmodi effectum formalem vnicam formalem causam posse concurrere. In quo est similitudo aliqua inter formam accidentalem & substantialem, & aliqua differentia, aut dissimilitudo. Differunt enim, quia substantiales formæ, nec per se, nec per accidens coniungi possunt naturaliter in eodem subiecto: plures verò formæ accidentales utroque modo possunt simul esse in eodem subiecto: quia cum non constituent per se vnum, nec dent esse simpliciter, sed secundum quid, non repugnat huiusmodi esse multiplicari in eodem subiecto, vel omnino per accidens, id est, sine illa habitudine inter se, ut cum albu fit mixtum; vel aliquo modo per se, quia vnum subordinatur alteri, ut potentia ad actum, vel actus primus ad secundum, quomodo quantum est coloratum, & oculus videns. Quo fit, ut priori modo possint accidentia saltem specie aut genere differentia in eodem subiecto multiplicari in quouis numero sine villo certo termino: quamuis enim infinita esse non possint ex generali ratione, quod repugnat infinitum in actu dari: & licet fortasse etiam ex defectu agentium naturalium non possint hæc formæ ultra certum aliquem terminum multiplicari, tamen in eodem, quā in diuersis subiectis, tamen, quantum est ex parte subiecti, & ex parte ipsarum formarum accidentalium, nullus potest in hoc assignari terminus, neque est maior repugnantia in maiori multitudine harum formarum, quam in minori, quia in his quæ per accidens se habent, nihil hoc refert ad repugnantiam eorum, nisi aliunde specialis contrarietas aut oppo-

sitio intercedat. Secus vero est in his, quæ per se ordinata sunt, nam hoc ipso quod habent inter se ordinem, per se necesse est dari in eis primum & vltimū, & consequenter si quæ sunt media, necesse est, ut sint in certo numero, eadem ratione qua id supra probatum est de prædicatis essentialibus.

Similitudo autem inter accidentalem & substantialem formam consistit in hoc, quod sicut substantiale compositum vnica forma constituitur, ita etiam accidentale compositum, quatenus suo modo vnus est, & vnus speciei, per vnicam tantum formam accidentalem constituitur, quia per subordinationem generis & differentie non fit multiplicatio formarum, etiam in accidentalibus: ex multis autem formis accidentalibus diuersarum specierum non fit vnum propriè ac immediatè, sed tantum ratione vnus subiecti, quod cum variis formis multiplicem facit compositionem. Dices: Interdum vna forma cōsurgit ex coniunctione & proportionem plurium, ut temperamentum, sanitas, pulchritudo, & fortasse vnus habitus. Respondeo, has vnitates vel non esse proprias, vel consurgere ex aliqua vnione talium formarum inter se, & qualis fuerit hæc vnio, talis erit illa vnitas: & sub ea ratione illa forma tantum est vnus speciei totalis, etiam si ex pluribus partialibus coalescat. Inquiri etiam hic posset, an ad eundem effectum formalem possint conuenire simul duæ formæ accidentales eiusdem speciei; sed hæc questio disputata est supra in communi tractando de principio indiuiduationis. Et deinde addimus, quod licet tales formæ coniungerentur in eodem subiecto, non concurrerent ad eundem effectum formalem, sed vnaquæque conferret suum integrum effectum distinctum ab alia, ut ex dictis facile constat.

Accidentales modi an, & qualiter causent.

Secundo dicendum est accidentia, quæ non habent propriam entitatem distinctam ab aliis, exercere quidem causalitatem formalem, diuerso tamen modo, quam aliz formæ accidentales. Prior pars probatur primo inductione, nam figura forma est rei figuratæ, & ita Aristoteles quartam speciem qualitatis sub distinctione nominat formam seu figuram: & tamen figura non est res, sed modus tantum distinctus. Itē, situs & vbi, seu præsentia localis, formaliter afficiunt subiectum, vnde hominem verbi gratia, denominant sedentem, aut stantem, vel præsentem, tamen sunt etiam modi, & non entitates distinctæ. Idem dici potest de passiva rei mutatione. Deinde reddi potest ratio, quia hæc accidentia per se afficiunt verè & in re ipsa, subiecta in quibus sunt, & cum eis componunt vnum accidentale compositum; quod quatenus tale est, intrinsece pendet ab eis, ut à proprio actu constituyente: ipsaque accidentia pendunt à suis subiectis, ut à materialibus causis: ergo ipsa exercent causalitatem formalem circa sua subiecta.

Secunda pars assertionis declaratur, nam hæc accidentia, cum non sint res distinctæ, sed modi tantum, non afficiunt subiecta mediante aliquo modo vnionis ab ipsis distincto ex natura rei, per quem eis vniantur, sed se ipsi immediate coniunguntur iuxta doctrinam supra traditam de distinctione modalis, & de natura modi. Vnde fit, in his formis modalibus causam ipsam formalem non distingui à sua causalitate actuali, quia causalitas formæ, ut sæpe dixi, non est aliud ab vnione actuali formæ ad subiectum: ergo vbi non distinguitur vnio à forma, nec causalitas distingui poterit. Cuius etiā signum est, quia huiusmodi formæ modales non possunt manere in rerum natura, nisi actu causantes suos effectus etiam per potentiam Dei absolutam, non enim potest manere sensio nisi constituat sedentem, &c. quod in vniuersum de modis est in superioribus demonstratum.

nam, scilicet, conservari non posse separatos à rebus quas modificant: non possunt aut eis esse coniuncti, quin eas afficiant formaliter: non possunt ergo actus esse quin actus causent: signum est igitur actualem causalitatem eorum non esse distinctam ab ipsis, sed intrinsecè & essentialiter in eorum rationibus includi. In hoc ergo est differentia inter hos modos, & alias proprias formas, in reliquis vero omnibus proportionaliter conueniunt.

Solum potest circa hos modos dubitari, quia ex prædicta assertionem sequitur modum vnius seu inhærentiæ entitatis accidentalis esse formam ex natura rei distinctam à forma inhærentem, v. g. ab albedine: hoc autem videtur absurdum; alias quotiescunque forma est res distincta à materia, erit necessarium, ut duæ formæ interueniant & coniungantur, ut effectus formalis possit consurgere. Deinde sequitur generationem esse formam materiæ ex natura rei distinctam à forma, quæ per generationem introducit, & idem erit de alteratione & quavis mutatione, seruata proportione. Responderetur in primis, quamuis hæc omnia concedantur, in re nihil esse absurdi, si vocum æquiuocatio tollatur: nam hæc formæ & sunt diuersarum rationum, & ad diuersos effectus ordinantur: quare nihil est absurdi quod in eadem re multiplicentur, & quod idem modus qui est via ad terminum, sit forma imperfecta respectu subiecti, vel quod idem modus informationis, qui est à forma, sit causalitas eius, ut illam vnit, & afficit, sit aliqualis forma eius. Adde verò deinde, ut melius & proprius loquamur, quosdam esse modos, qui in latitudine entis non constituunt suas proprias species, sed reducuntur ad species vel Prædicamenta aliarum rerum vel formarum, quia solum sunt tanquam conditiones requisitæ, vel causalitates earum intrinsecæ & huiusmodi non habent propriam rationem formæ, sed retinent propriam rationem modorum substantialium, & accidentalium. Et hæc ratione neque vnio animæ rationalis verbi gratia, dici potest forma, quia nec substantialis, neque accidentalis dici posset. Item neque vnio humanitatis ad Verbum, nec propria substantia verè dici potest forma, ut infra ostendemus. Sic ergo neque inhærentia accidentalis formæ dici potest forma, neque accidens distinctum, si proprie loquamur, sed modus accidentis. Conclusio ergo posita, intelligenda est de prioribus accidentibus: illa enim tantum, proprie & absolute loquendo, accidentia, seu formæ accidentales dicenda sunt. Denique dici potest argumento illo recte ostendi hos modos, in vniuersum loquendo, imperfectam causalitatem formalem participare, habereque aliam peculiarem efficiendi modum, ad causam formalem pertinentem.

Extrinsicus adiacentes formæ, aut denominantes, nil causant.

Deo tertio: Accidentia impropria, quæ solum extrinsecus denominant aut adiacent, non exercent veram causalitatem formalem, sed solum secundum quandam proportionem, denominationem eius participant. Probatur inductione, nam actio non est forma agentis, quia non afficit illud, nec dat illi aliquid esse, neque cum illo componit aliquid verè vniū. Idem est de visione, verbi gratia, respectu obiecti, quod visum denominat: quis enim dicat visionem esse formam rei visæ? Idem est de indumento respectu hominis vestiti, & de superficie circumdante ac continente respectu rei contentæ, & de omnibus similibus. Quorum omnium ratio est, quia hæc omnia nullum esse reale conferunt illis rebus quas extrinsecè denominant: ergo non sunt veræ formæ reales, cum forma sit quæ dat esse. Item quia hæc omnia non habent veram & realem vnionem ad res

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

quas denominant: forma autem non causat nisi media vnione: siue sit distincta à forma, siue non: seclusa enim vnione Physica non est compositum verè vniū: vbi autem non est propria compositio ex qua resultet compositum quod sit vniū aliqua Physica vnitate, non potest intercedere vera & Physica causalitas formalis. Tandem causalitas formalis & materialis sunt quasi correlatiuæ, nam sibi inuicem correspondent: sed in his rebus, quæ extrinsecè denominantur ab aliis, non intercedit vera causalitas materialis: neque enim agens dici potest causa materialis actionis, & sic de aliis: ergo neque res sic denominantes extrinsecè, sunt veræ formæ. Cuius etiam signum est, quod Deus denominatur agens vel creator, ab actione vel relatione quæ est in creatura, & tamen nemo dixerit talem actionem comparari ad Deum ut veram formam eius. Seclusa autem ab his rebus causalitate formali vera ac Physica, nihil in eis relinqui potest ob quod vocentur aliquo modo extrinsecæ formæ, nisi proportio aliqua: quæ in hoc consistit, quod huiusmodi res dicunt aliquas habitudines ad alias res quas denominant, in quibus se gerunt ad modum vltimi termini, vel actus, & ideo denominare videntur ad modum formarum. Atque ita explicata manet & confirmata conclusio quoad vtramque partem. Quomodo autem hæc verè dicatur constituere aliqua prædicamenta accidentium, vel aliquas species eorum, declarandum erit infra, cum de singulis rationibus prædicamentalibus differemus: quomodo item in his denominationibus soleant quadam entia rationis fundari, in propria disp. dicemus: & ideo nulla superest circa hoc difficultas hoc loco tractanda.

SECTIO II.

Utrum omnis forma accidentalis educatur de potentia subiecti.



Ex omnibus quæstionibus quas de forma substantiali tractauimus, sola hæc superest circa accidentalem formam quæ peculiarem declarationem requirat: nam si attentè considerentur quæ in superiori sectione dicta sunt, ibi cōprehendimus omnia quæ ad rationem Physicæ formæ spectant, quæ verò pertinent ad rationem formæ Metaphysicæ ex sect. vlt. præcedentis disputationis sumi possunt. Nam in vltima eius parte ostendimus genera, & differentias eadem ratione & proportionem in accidentibus reperiri.

Sensus quæstionis explicatur, certa ab incertis separando.

igitur ut in præsentī dubitatione separemus certa ab incertis, supponenda est trimembris illa diuisio præcedenti sectione proposita de entitate propria formæ accidentalis, de modo accidentali, & de accidente solum extrinsecus denominante. Et de hæc quidem tertio membro nihil dicere oportet, nam certum est hæc omnia prædicata quæ extrinsecus adiacent, non educi de potentia earum rerum quæ ab eis denominantur extrinsecus, cum in illis non sint ut in subiecto, & ab eis vel simpliciter non pendeant, ut indumentum ab homine, & superficies continens à re contenta; vel si pendent, non est in genere causæ materialis, sed vel efficientis, ut actio ab agente: vel obiectiuæ, ut visio ab obiecto. Est igitur aduertendum semper eam rem quæ extrinsecus aliam denominat, esse intrinsecè in aliqua alia re, nā vel est substantia aliqua, & illa est in se, vel est entitas aut modus accidentalis, & sic necesse est esse intrinsecè in aliquo subiecto, à quo sustentetur. Vnde quando de nouo sit quælibet res quæ aliam extrinsecè de-

Denominatio-
nes ex-
trinsecæ nō
educuntur
de potentia
subiecti.

Hh nomi-